Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8182
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

est. i. Re. xvi. In hoc quod golyas proprio gladio est decapitatus. Vel Hester. iiii. in fine quod Aman suspensus est patibulo quod paraverat Mardocheo. Pravi consiliarii de rapinis vel exactionibus quas fieri faciunt tenentur ad restitutionem. dum alii habent lucrum. Consilio eorum bene acquiescitur in malis. in bonis autem non. Tercio. quia hoc peccatum multum nocivum est ecclesie dei. Unus enim malus consiliarius quandoque destruit totam patriam. Unde de illo potest dici illud Eccl. Nequius oculo quid creatum est. Consiliarius est oculus alterius. ut dicitur Matth. vi. Si oculus tuus scandalizat te. vel c. Si consiliarius principis malus est. negocia eius male disponentur Matth. vi. Si oculus tuus nequam fuerit. vel c. Quarto. quia consiliarii astuti ad consilia nociva danda sibi ipsis fatui inveniuntur. Job. xii. Dicitur quod dominus adducet consiliarios in stultum finem. vel v. ad c. apprehendit sapientes in astucia eorum. Cavendum est autem ne homo pravo consilio acquiescat. Eccl. xxxvii. A consiliario malo serva animam tuam. Cavendum est etiam homini ne consilium querat a iuvenibus. Hac enim de causa Roboam partem regni amisit. quia acquievit consilio iuvenum. relicto consilio seniorum. iii. Re. xii. Item cavendum est homine amatores huius mundi consulat pro salute anime sue. Quia figuratum est Gen. xxxi. ubi dicitur quod Jacob recessit a Laban ipso nesciente. Unde vocatur de angelus magni consilii. Et tu alienum consilium secularis. Ys. xix. Sapientes consiliarii pharaonis etc. Eccl. viii. Cum fatuis consilium ne habeas etc.

De seminantibus discordias

Sequitur de peccato seminancium discordias. A quo primo debet homo cavere. hoc quod ex eo sunt est deo. Prov. xvi. Sex sunt que odit deus etc. Nec mirum si deus odiat tales. magis enim videntur nocere ei. quam qui corpus proprium crucifixerunt. Plus enim dilexit Christus corpus ecclesie quam corpus suum. Ad ostendendum quod corpus ecclesie nullo modo debet scindi per discordias. noluit ipse inconsutilem tunicam in divisam haberi. Jo. xix. Secundo hoc quod multum est.